

tiam facti de se publicam et communitati notam, quæ sufficit, cum jura plus non requirant, nec ratio aliqua cogat. Ex his vero infero, si delictum seu factum, propter quod interdictum jure latum est, sit occultum, nondum populum esse interdictum, quia nondum factum illud est sufficienter promulgatum, ut interdictum insurgat. Quocirca etiamsi aliquis vel aliqui de illa communitate delictum secrete noverint, non propterea interdicti sunt, neque ipsi pro talibus se gerere tenentur, quia ipsi non ligantur per se, sed ut membra communitatis; ergo donec interdictum liget et impositum sit respectu communitatis, non ligat hujusmodi singulares personas. Quod quidem posset habere nonnullam dubitationem respectu illius personæ, quæ in particulari delinquit et dat causam interdicto, quia respectu illius tale interdictum habet vim interdicti specialis, ut supra dictum est. Nihilominus tamen etiam respectu illius hoc censeo verum, quia formaliter illa persona etiam non ligatur nisi per interdictum generale, ut sic; et ideo donec illud teneat in ordine ad suum primarium objectum, ut sic dicam, quod est communitas, neminem in particulari ligat, quia nondum in se subsistit seu factum est.

5. *Tertia conclusio.* — Tertio ex dictis constat, quid dicendum sit de interdicto locali, tam generali quam speciali respective. Nunc enim post Extravagant. *Ad evitanda*, tale interdictum nullum est donec denunciatur, quia nullus hominum tenetur sese abstinere a tali loco quoad divina ante sufficientem denunciationem, ut constat ex citata constitutione et ex omnium sententia. Tota autem ratio hujus interdicti consistit in separandis fidelibus a tali loco quoad divina; nam locus ipse non potest sese separare et abstinere. In quo differt hoc interdictum a personali. Necessesse est item denunciationem fieri illius loci in particulari et nominatim, qui adæquate interdicatur, ut ex eadem Extravag. constat. Dico autem *adæquate*, quia sufficit, ut uno nomine colectivo vel quasi colectivo totus locus comprehendatur, ut singulæ Ecclesiæ vel partes interdictæ maneant, ut per se notum est et ex usu satis constat. An vero ante dictam Extravagant. requireretur hæc denunciatio, idem dicendum censeo, quod de interdicto generali, scilicet, absolute non fuisse necessariam; publicam vero notitiam delicti seu facti proportionatam interdicto semper fuisse requisitam, propter eandem

rationem, quæ hic applicari potest, cum aliis, per quas in 3 tomo ostendimus Ecclesiam non pollui per delictum vel factum occultum; est enim hic eadem proportionalis ratio.

DISPUTATIO XXXVIII.

DE RELAXATIONE INTERDICTI.

Omnia, quæ ad hanc disputationem pertinent, ad duo capita revocari possunt. Primum est, quando et quomodo necessaria sit hæc relaxatio, ut interdictum auferatur. Secundum est, quando illa est necessaria, quomodo et a quo fieri debet.

SECTIO I.

Utrum necessaria semper sit relaxatio vel absolutio interdicti, ut illud cesset.

1. *Nullum interdictum fertur, ut perpetuo duret.* — Supponimus in hac quæstione, interdictum non esse perpetuum, sed auferri posse seu cessare; inquirimus autem modum. Illud autem suppositum certissimum est, constatque satis ex usu Ecclesiæ. Et ratio reddi potest, quia cum hæc censura sit spiritualis pœna privans nonnullis bonis pertinentibus ad spirituale commodum animarum, non expedit esse perpetuam, alioqui magis esset in destructionem, quam in utilitatem. Item, quia vel interdictum fertur per modum censuræ, ut recedatur a contumacia, et tunc ex generali ratione censuræ constat non posse esse perpetuam; vel fertur solum ut pœna pro delicto commisso et tunc vel fertur pro definito tempore, et sic constat non esse perpetuum, neque ultra illud tempus extendi, vel fertur indefinite, et sine temporis limitatione, et hoc modo nunquam, ut existimo, invenitur in jure latum, nisi adjecta aliqua conditione, scilicet donec restituat, vel satisfaciat, vel alia simili; per quam satis ostenditur, interdictum non ferri, ut perpetuo duret, sed ut tollatur, impleta illa conditione; imo hoc ipso, quod talis conditio ponitur, est signum, tale interdictum non tam esse positum in pœnam, quam ut a contumacia recedatur. Quod si talis conditio expresse non apponeretur, vel in interdicto lato a jure, vel ab homine, virtute seu implicite esset subintelligenda, si causa interdicti est capax illius, id est, si habet, ut aiunt, tractum successivum, seu (quod idem est) si semper pendet in futurum, ut contingit, quando interdictum fertur,

ut aliquid restituatur, vel ut cesset vis illata Ecclesiæ, vel aliquid simile; si vero causa interdicti sit actio jam omnino præterita, saltem habebit subintellectam hanc conditionem, donec auferatur ab habente potestatem, quia nunquam fertur, nec ferri potest ea intentione, ut perpetuo duret.

2. *Interdictum pro delicto præterito non tollitur, nisi per relaxationem vel absolutio-nem.* — Atque ex his intelligere licet, quid certum sit, quidve dubium in quæstione proposita. Nam primo certum est, si contingat interdictum ferri pro delicto pure præterito absque ulla adjecta conditione, quæ pendeat ex voluntate ejus, qui interdicatur, et absque temporis limitatione, tunc tale interdictum auferri non posse, nisi per relaxationem superioris habentis potestatem. Probatur, quia tale interdictum est pura pœna, et non est limitata ad certum tempus; ergo de se est indefinita seu perpetua negative, id est, de se non habens certum tempus; ergo non est unde possit finire aut tolli, nisi ex voluntate superioris. Unde non involvit aliam conditionem nisi illam, donec auferatur, vel usque ad beneplacitum ferentis, sicut de suspensione in simili forma lata dicebamus. Hic autem modus interdicti ita simpliciter lati ob præteritum actum, nec a jure, neque ab homine solet ferri, quantum mihi ex usu et ex experientia constat. Unde propter hunc solum interdicti modum parum necessaria erit interdicti absolutio seu relaxatio.

3. *Interdictum latum pro tempore definito, cessat eo tempore elapso. Secunda conclusio.* — Antea vero non nisi per relaxationem. — Secundo certum est: quando interdictum fertur, ut pura pœna pro peccato præterito et pro tempore definito, ut fertur interdictum ab ingressu Ecclesiæ per mensem, tunc non est necessaria interdicti absolutio elapso illo tempore, sed ipso facto cessabit, sicut in simili diximus de suspensione. Est enim eadem ratio, atque ita idem in utroque casu docent Doctores ibi citati, et Sylvester, verb. *Interdictum*, 3, quæst. 9, et alii statim referendi. Et probatur, quia lex aut sententia non plus operatur, quam verba ejus significant; ergo verba limitantur ad certum tempus, pro illo interdicunt et non pro ulteriori tempore; ergo illo elapso, pro futuro tempore non erit necessaria absolutio. Quia ubi non est interdictum, neque absolutio necessaria est; pro illo autem ulteriori tempore non fuit interdictum latum; ergo neque absolutio pro illo

xxiii bis.

necessaria erit. Unde aperte constat, aliter sentiendum esse, si agatur de ablatione talis interdicti ante elapsam illud tempus, pro quo latum est; sic enim auferri non potest absque relaxatione habentis potestatem, ob contrariam rationem, quia pro toto illo tempore lex seu sententia operatur, cum verba ejus id præ se ferant et efficacia sint; ergo ut impediatur seu tollatur talis effectus, necessaria est contraria voluntas habentis potestatem, quæ tale interdictum relaxet.

4. *An interdictum sub conditione, ipsa impleta, per se auferatur.* — *Prima sententia.* — Difficultas vero superest, quando interdictum fertur, ut recedatur a contumacia, vel sub hac conditione tacita, vel expressa, *donec satisfaciat, vel restituat, etc.*, an tunc necessaria sit absolutio vel relaxatio interdicti. Multi enim censent non esse necessariam; nam si conditio non est impleta, interdictum non est tollendum, imo nec relaxari potest, cum duret contumacia, nisi forte per absolutam voluntatem ejus, qui possit revocare sententiam aut in lege dispensare; si autem conditio est impleta, ipso facto cessat interdictum, quia ille terminus positus est in ipsa lege; ergo ultra illum non operatur, sicut dictum est, quando lex certam temporis durationem præscribit. Nam perinde esse videtur limitare durationem censuræ per expressum terminum temporis vel per quamcumque aliam æquivalentem conditionem. Atque ita sentiunt Glossæ fere in omnibus juribus citatis disputatione præcedenti, sect. 4; nam ubicumque jura ferunt interdictum cum illa vel simili determinatione, *donec satisfecerit*, ait Glossa, impleta conditione interdictum esse sublatum absque alia relaxatione; et idem sentiunt ibi communiter interpretes, et specialiter Abbas in cap. Non est vobis, de Sponsalibus, et in cap. ultim. de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ, et tenet Sylvest., *Interdictum*, 3, q. 9; Covarruv., in cap. Alma, part. 1, § 11, n. 8, cum aliis supra relatis in simili quæstione de suspensione.

5. *Vera sententia.* — Hæc vero sententia quantumcumque probabilis sit propter Doctorum auctoritatem, nobis probari non potest. Nam in universum censemus, nullam propriam censuram auferri, nisi per absolutio-nem seu relaxationem ejus, qui jurisdictionem habet, quod etiam de suspensione diximus cum Abbate et Innocentio in cap. Cum bonæ, de Ætate et qualitate. Idem ergo nunc opina-

mur de censura interdicti, soletque ad hoc citari cap. Presbyter, 22, quæst. 5, qui textus de suspensione loquitur, et in utramque partem ab auctoribus adducitur, parumque probat, quia non agit de censura ob contumaciam, sed de prohibitione a superiori facta ob infamiam.

6. Præterea probari potest a paritate rationis in excommunicatione; hæc enim maxime fertur ob contumaciam, donec ab illa recedatur, sive hæc conditio expresse declaretur, sive non; parum enim hoc refert, cum in intrinseca ratione talis censuræ includatur; et nihilominus impleta illa conditione, requiritur absolutio excommunicationis, ut constat ex cap. Cum desideres, et in cap. A nobis, 2, et in cap. Quod in dubiis, de Sentent. excom.; ergo idem dicendum est de censura interdicti. Probatur consequentia, tum quia videtur esse eadem ratio, et in his, in quibus non apparet manifestum discrimen, solent hæc censuræ in jure æquiparari, cap. Is cui, cum similibus, de Sentent. excom., in 6; tum etiam quia in dictis juribus hoc non dicitur de excommunicatione propter aliquam specialem rationem ejus, sed potius in dicto cap. Cum desideres, insinuat hæc ratio, quia licet ei, quem læsit, satisfacisse taliter videatur, Ecclesiæ tamen, quam offendit, ex hoc non satisfacisse dignoscitur, quæ ratio cum proportionem applicari potest ad censuram interdicti. Propter quod Joannes Andreas, quem Panormitanus refert in dicto cap. Cum bonæ, n. 5, dixit, necessariam esse satisfactionem judicialem, id est (ut ego intelligo), a iudice receptam et approbatam judicialiter, quæ approbatio continet relaxationem interdicti, saltem tacitam et implicitam; nam ad hoc fieri debet, ut iudex, talem satisfactionem recipiendo, vinculum tollat, alioqui non esset per se necessaria ut tolleretur censura, sed ad summum, ut in aliorum notitiam deveniret. Atque eodem modo interpretor quod dixit Glossa in Clement. 4 de Decimis, quam multi Canonistæ sequuntur, quando censura hujusmodi fertur sub illa conditione, donec satisfacere, vel alia simili, necessariam esse declarationem iudicis. Nam si intelligant, iudicem non auferre censuram, sed denunciare ablatam, quia impleta fuit conditio, nobis non probatur; alioqui idem dici posset de excommunicatione; oportet ergo, ut Ecclesia vel minister ejus ita declaret satisfactionem esse impletam, ut eam acceptet, et absolutionem conferat, et hoc est, quod signifi-

ficatur in dicto cap. Cum desideres; et in dicto cap. A nobis, generaliter dicitur: *Vinculum, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissolvitur; vinculum autem, quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur; quæ ratio etiam in vinculo interdicti locum habet.*

7. Cap. Cum ab Ecclesiarum, de Officio ordin. — Occurrit evasioni. — Et confirmari potest ex cap. Cum ab Ecclesiarum, de Officio ordin., ubi prius in generali sic dicitur: *Cum ab Ecclesiarum Prælati Ecclesiastica sententia in malefactores aliquos promulgatur, rata debet, et firma consistere, et usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari.* Quæ verba, ut ex eorum tenore constat, indifferentia sunt, et communia sententiæ excommunicationis et interdicti. Unde ex illis statim expresse inferitur, sententiam interdicti et excommunicationis a quodam plebano rationabiliter latam, inviolabiliter fuisse observatam. Ac tandem concluditur: *Et eam sine congrua satisfactione, et absque justa plebani conscientia non relaxet;* ergo in hac æquiparat sententiam excommunicationis et interdicti; et sensit non sufficere satisfactionem sine relaxatione ejus, qui sententiam tulit, vel ex ejus consensu. Nec refert dicere, forte illam sententiam interdicti non fuisse latam sub conditione, donec satisfacere, sed simpliciter: tum quia hoc voluntarie dicitur et sine fundamento; tum etiam quia parum refert, quod illa conditio fuerit expressa, necne; nam satis constat, sententiam illam fuisse latam, ut recederetur a contumacia, et satisfactio fieret, in quo intrinseca dicta conditio imbibitur. Idemque probat textus in cap. Quanquam, de Censibus, in 6, ubi censura et interdicta feruntur contra exigentes injusta tributa ab Ecclesiasticis personis, et in fine subditur: *Nec ab excommunicatione hujusmodi absolutionem vel interdicti relaxationem obtineant, donec exacta plenarie restituerint et de transgressione satisfecerint competentem;* ubi sermo est de interdicto lato pro contumacia, sicut est excommunicatio, et quoad hoc æquiparantur, ut post impletam restituendi conditionem, et exhibitam vel oblatam competentem satisfactionem, absolutio vel relaxatio postuletur; optime ergo in his juribus fundatur ratio sumpta ex æquiparatione harum censurarum.

8. Duplici confirmatione ex juribus allatis sumpta eadem sententia confirmatur. — Prima. — Ac præterea ex verbis eorundem

jurium duplicem confirmationem ejusdem sententiæ sumo. Prima est a posteriori, seu ab inconvenienti, quia si in interdicto lato, ut recedatur a contumacia, non est necessaria relaxatio, certe moraliter loquendo, nunquam est necessaria. Consequens autem est contra morem loquendi horum, et aliorum jurium, imo et contra communem usum Ecclesiæ. Sequela patet, quia interdictum latum non pro contumacia tollenda, sed tantum in pœnam, moraliter nunquam fertur simpliciter, sed pro tempore determinato; et tunc non requirit absolutionem, sed lapsum temporis, ut diximus; et ante completum tempus raro conceditur ejus absolutio, magisque per modum dispensationis, seu extraordinariæ gratiæ, quam ordinariæ, et usitatæ relaxationis; solum ergo superest interdictum pro contumacia, seu, quod idem est, ad extorquendam satisfactionem, vel restitutionem, aut aliquid hujusmodi; ergo si in hoc etiam non requiritur relaxatio, nunquam est moraliter necessaria. Altera confirmatio est ex congruentia, quæ ibi insinuat, ob quam Ecclesia merito sibi reservat hanc relaxationem, sine qua non vult censi ablatum vinculum, quod ipsa posuit: quia expedit, ut prius ipsa Ecclesia convenientem satisfactionem imponat, et, si opus fuerit, pœnam ageat juxta gravitatem, et durationem contumaciæ, sicut de excommunicatione diximus. Et in hoc est magnum discrimen inter hanc censuram latam ob contumaciam, vel in pœnam ad definitum tempus; nam quando fertur hoc posteriori modo, jam culpa tota commissa est, et castigatio condigna est ab Ecclesia imposita, et ideo non amplius ligat, quam usque ad pœnæ complementum; quando autem fertur priori modo, culpa est quasi in continua successione et augmento; et quo diuturnior est contumacia, eo digna est majori satisfactione et supplicio. Et ideo absolute ligat usque ad absolutionem ab Ecclesia. Ad hanc enim referenda est omnis conditio, sub qua fertur hæc censura, sive implicite, sive explicite ponatur; non enim adhibetur, ut ipso facto tollatur impleta conditio, sed, ut per Ecclesiasticum iudicem tollenda sit. Atque ita semel responsum est ad fundamentum contrariæ sententiæ.

An per mutationem loci relaxetur ejus interdictum.

9. Ratio dubitandi. — Difficultas vero superest, an hæc regula patiat aliquam ex-

ceptionem. Et solet in tribus casibus tractari: primus est de interdicto locali, an per loci mutationem cesset aliquando. Nam ex principiis supra positis de censuris in communi videtur affirmandum, quia destructo subjecto tollitur censura tanquam accidens illi inhærens. In contrarium vero est, quia in hoc interdicto non videtur habere locum talis ac tanta mutatio, aut destructio loci ipsius.

10. Resolutio quoad interdictum generale. — In hoc distinguendum in primis est de generali interdicto locali, et particulari. Nam generale per se primo fertur in totam aliquam civitatem, vel provinciam; consequenter vero in partialia loca ejus; ab illa ergo re, in quam per se primo fertur hoc interdictum, non potest, moraliter loquendo, auferri per destructionem ejus, quia vel non contingit totum illum locum destrui, præsertim si amplissimus sit; vel, licet destruat civitas, vel villa, semper manet solum illud, in quo sunt ruinae civitatis, quod manere potest interdictum, ut a simili constabit ex interdicto particulari. Posset tamen dubitari, an moralis alienatio, aut venditio sufficiat, ut ipso facto locus non maneat interdictus, ut, verbi gratia, si terra sit interdicta propter peccatum domini, et interim dominus terram illam omnino alienet; videtur enim tunc ipso facto tolli interdictum, quia jam non manet illa terra sub eo respectu, sub quo interdicta fuit. Sicut e contrario, si talis dominus de novo aliquam terram acquirat, illa statim fieret interdicta ex vi prioris sententiæ, per quam tota terra talis domini interdicta fuit.

11. Si terra interdicta alienetur, adhuc retinet interdictum. — Locus de novo acquisitus a domino, cujus terra est interdicta, non manet interdictus. — Nihilominus tamen communis sententia est, in eo casu non auferri interdictum propter alienationem. Quam tenuit Sylvester, *Interdictum*, 2, num. 3, cum Calderino, tractatu de Interdicto, membr. 2, et Geminiano cum aliis, in cap. Si sententia, de Sentent. excomm., in 6. Quorum ratio est, quia hoc interdictum est veluti onus quoddam loci interdicti; cum autem res alienatur, transit cum suo onere, argument. cap. Ex litteris, de Pignorib., et cap. Pastoralis, de Decimis. Addi etiam potest, hunc modum eludendi interdictum posse cedere in præjudicium, et vilipendium Ecclesiasticæ potestatis, et ideo nec talis modus tollendi interdictum est in usu, nec permittendus est.

Quamquam ergo terra illa non fuerit interdicta, nisi quia erat talis domini, non tamen interdictum semel latum dependet ab illa conditione quasi in fieri, et conservari; sed ille respectus, scilicet, fuisse talis domini tempore, quo latum est interdictum, sufficit, ut semper duret, donec per relaxationem Ecclesiae auferatur. Atque eadem ratione e contrario dicendum est, locum de novo emptum, vel aliter acquisitum a tali domino, non eo ipso manere interdictum, si non fiat pars loci prius interdicti, sed solum ejusdem domini, quia a principio talis locus non fuit comprehensus in sententia interdicti. Quod tamen intelligendum est, ut notavit Sylvester, nisi per sententiam interdicta sit omnis terra talis personae, possessa, vel possidenda; nam tunc se haberet sicut interdictum deambulatorium, de quo statim dicendum.

12. *Pars quovis modo separata a loco generaliter interdicto adhuc manet interdicta.* — De partibus vero loci generaliter interdicti dubitari potest, quando aliqua pars ita separatur a toto loco interdicto, ut omnino jam non sit, nec censeatur pars ejus; tunc enim videri potest, locum illum non manere interdictum, quia non est in illum per se primo latum interdictum, sed solum quatenus est pars totius loci per se primo interdicti; ergo hoc ipso, quod desinit esse pars, desinit etiam esse interdicta, sicut in simili statim dicemus de interdicto locali speciali. Sed nihilominus rationes factae de loco totali videntur aequae procedere de partiali; et ideo fortasse auctores citati nihil quoad hoc inter ea distinguunt. Accedit praeterea, quod nulla separatio intelligi potest, quae sufficiat ad hunc effectum tollendum; aut enim illa est separatio physica, aut moralis. Prior non habet hic locum, quia pars loci interdicti non est physice, seu localiter separabilis a toto loco interdicto, quia non est aliqua res mobilis, sed locus immobilis, ut physico more loquamur. Nam licet destruantur aedificia, quae ibi sunt, manet solum, et quamvis per possibile, vel impossibile hoc materiale solum, seu haec individua terra alio transferretur, semper manebit idem locus immobilis aequae propinquus generali loco interdicto; ergo propter separationem physicam seu localem nunquam potest talis pars liberari interdicto. Separationem autem moralem appello illam, quae fit per alienationem, ut dicitur civitas separari a regno Castellae, v. gr., si alienetur, et vendatur Regi Galliae;

hujusmodi autem separatio non sufficit, quia ostensum est in toto non sufficere; ergo nec in parte satis erit. Est enim eadem ratio, scilicet, durationem jurisdictionis, seu domini non esse necessariam, ut interdictum perseveret; sed in praesenti sufficit, ut talis loci pars sit toti aliquo modo realiter et localiter conjuncta; nam si sint loca omnino sejuncta, et separata, revera interdictum illorum multiplex est, quamvis per modum unius feratur, quando talia sunt sub dominio unius personae; quod essenziale non est, ut interdictum semel latum perseveret, ut diximus.

13. *Deciditur dubium quoad interdictum particulare. — Si totum aedificium in alium locum mutetur, non manebit interdictum. — Si templum in loco interdicto reaedificetur, manebit interdictum.* — Eadem proportionem ratiocinandum est de interdicto locali speciali. Nam in primis probabilius censeo, per destructionem loci, v. gr., templi interdicti non omnino extinguere interdictum, quia remanet aliquid, in quo possent vel sepeliri corpora defunctorum, vel etiam erecto altari sacra celebrari, seclusis aliis incommodis; quoad haec ergo non manet ille locus immunis ab interdicto. Quia interdictum hoc etiam non pendet ex aedificio, seu tecto, aut parietibus, cum etiam loca quaelibet, ut viae, et plateae, interdicti possint; quamvis ergo interdicatur specialis locus, in quo est aedificium, non tamen solum aedificium, sed etiam pavimentum ipsum interdicatur; et ideo in eo saltem perseverat interdictum, sicut in simili dicemus statim de interdicto personali. Quin potius addo, si illa duo inter se comparentur, solum, et aedificium, potius aedificium propter solum, quam e converso interdictum; nam si fingamus totum illud aedificium destrui, et alio transferri, ita ut ex eisdem lapidibus et lignis, in eadem forma compositis, in alio situ distante aedificaretur simile templum, illud jam non esset interdictum, quia ratione soli non est illud templum, quod interdicto specialiter subjectum fuit, et hoc videtur esse, quod principaliter interdicatur, quia illud est quasi fundamentum, et basis talis loci, vel potius quia illud est id, quod est immobile in loco, sub quo respectu fertur praecipue interdictum locale, ut paulo antea dicebamus. Atque ob hanc causam, quamvis destructa Ecclesia, et iterum aedificata in eodem omnino situ, materiali et vulgari modo diversum templum censeatur, tamen et sub quadam physica ratione censetur idem

locus, et sub morali respectu quasi idem templum existimatur, ideoque eisdem privilegiis gaudet, ut est communis Jurisperitorum sententia. De qua videri potest Felinus, in cap. Cum dilecta, de Rescriptis, num. 97, et Jason, in leg. Inter stipulantem, § Sacram, num. 30, ff. de Verbor. obligat. Sic ergo in praesenti, si templum in eodem solo reaedificetur durante interdicto, manebit interdictum ratione soli, quia semper est moraliter idem locus, qui interdictus fuit. Et eadem proportionem loquendum est de loco partiali talis Ecclesiae specialiter interdictae; nulla enim videtur possibilis destructio, aut separatio, per quam illa pars interdicto liberetur, quia necesse est, ut semper maneat solum aequae conjunctum illi Ecclesiae; nam coemeterium etiam interdicatur interdicta Ecclesia, et a fortiori manebit interdicta illa pars templi, etiamsi sola area maneat. Ino etiamsi quis fingat illam partem moraliter separari, ita ut jam non sit pars templi, nec coemeterium ejus, nihilominus censeo, semper locum illum manere interdictum, donec relaxatio fiat, propter rationem factam de interdicto generali, quae hic applicari potest, nec minui unquam ipso facto propter aliquam loci mutationem absque relaxatione.

14. *A praecedenti doctrina excipitur interdictum deambulatorium.* — Solum videtur necessario facienda exceptio in interdicto deambulatorio; per illud enim interdicatur locus, in quo talis persona detinetur, seu existit; ergo hoc ipso, quod persona ab illo loco transfertur, tollitur interdictum illius loci, absque alia relaxatione; sicut e converso alius locus, in quem persona transit, incipit esse interdictus absque nova sententia. Quia prior ad hunc effectum extenditur, et quasi transfert interdictum ab uno loco in alium; nam intentio ferentis, juxta communem usum, et sensum hujus interdicti, non est, ut tale interdictum ita perambulet omnia illa loca, ut in omnibus simul permaneat, sed solum in eo, in quo est talis persona. Atque ita hanc conditionem requirit ut necessariam, non solum ut interdictum in loco oriatur, sed etiam ut perseveret; ac propterea hoc est speciale in tali casu. Et congruentia reddi potest, quia tale interdictum non fertur in odium ipsius loci, ut sic dicam, sed in odium talis detentionis, seu alterius facti talis personae in quolibet loco. Et ideo nullus illorum locorum interdicatur simpliciter, sed solum pro eo tempore, in quo talis

persona in eo detinetur, vel aliquid simile in eo fit. Secus vero est, quando propter contumaciam personae locus interdicatur independenter a praesentia ejus, vel alia actione in tali loco; tunc enim donec relaxetur interdictum, vel persona ipsa absolvatur, non tollitur interdictum.

An interdictum generale personale cesset, destructa communitate.

15. *Dissoluta communitate interdicta tollitur interdictum personale generale.* — Secundus casus est de interdicto generali personali, quod hanc habet specialem rationem, ut feratur in totum illud corpus, ut est unum moraliter, seu politice, videlicet unum collegium, vel unus populus, etc., de quo, tempore optime contingere potest, ut omnino dissolvatur, et consequenter destruat sub tali ratione; tunc ergo verum censeo, tale interdictum cessare, seu carere effectu ob destructionem subjecti, in quo per se primo latum erat. Et tunc est optima illa ratio, quia erat veluti affectio ejus, quae destruitur destructa re, quam afficit, juxta illud: *Destructis nobis, destruuntur ea, quae sunt in nobis.* Unde cum dicimus, perseverare interdictum donec auferatur, semper intelligimus, perseverante re capace interdicti, vel aliquid effectus ejus. Non satis est, quod manent illi homines, ex quibus collegium, v. gr., componebatur, si jam revera collegiales non sunt, nec collegium conficiunt, quia illi non erant per se interdicti, neque ut Petrus vel Paulus, sed ut partes talis corporis politici, et quasi consequenter ad interdictionem ejus; sub illa autem ratione non manent.

16. *Persona quae desinit esse membrum communitatis interdictae non ligatur interdicto.* — Qui de novo fit pars communitatis generaliter interdictae manet interdictus. — Atque hinc ulterius fit, posse hoc interdictum cessare ipso facto in qualibet persona illius communitatis per separationem ab illa, etiamsi interdictum maneat in tota communitate; ut, v. gr., si collegium sit interdictum, et aliquis omnino dimittat societatem et habitum illius collegii, jam non participat interdictum illud. Idemque est, si interdicto populo aliquis inde mutet domicilium, vel quacumque via de illa communitate esse desinat. Ratio est, quia illa persona non est per se interdicta, sed quasi per participationem